

Disertationes. stoica

1. Alberti de Tortura subiectis aptis et ineptis
2. Eiusd. de Haemorrhoidibus Symptomaticis et per-
niciosis
3. E. de Haemorrhagis mortuorum et Jure cruenta
4. E. de Effortis aulicis ^{tionis}
5. E. de Haemorrhoidum salubri et insalubri pro-
motive
6. E. de Spirandi Difficultate
7. E. de Somno mortuorum causa
8. E. de Haemorrhoidibus Juniorum
9. E. de Hydropica curata
10. E. Goklii de Spina ventosa
11. Alberti de Vena sectione Abortum praeservante
12. E. de Cura per domestica Non fuit Mithila
13. E. de Haemorrhoidibus gravidarum et puerpe-
rarum
14. E. de natura lucta cum morbo et medico
15. E. de Autocina Vtberatorum
16. E. de Haemorrhoidum praeservatione
17. E. de Haemorrhoidum differentia ab aliis cruentis
alvi fluxibus
18. E. de Initio mensium fine morborum

- 19 Alberti de Haemorrhoidibus hereditariis
 20 Ep. de Hydrope
 21 Ep. de mente sana in corpore sano
 22 Ep. de Ichthysi praeservanda
 23 Ep. de morum et remedium nexu
 24 Ep. de Pulmonum subdientium experimen-
 ti prudenti applicatione
 25. Ep. de Dysuria Senili
 26. Ep. de Purpura puerperarum
 27. Ep. de Longevitate ex Diata
 28. Ep. de Longevitate ex aërio temperie
 29. Ep. de Longevitate ex motu corporis
 30. Ep. de Longevitate ex Medicina
 31. Ep. de Fistula Urethra virilis
 32. Ep. de Tussi infantium epidemica
 33. Ep. de Longevitate ex animi moderamine
 34. Ep. de Diata Principum



HIPPOCRATES



GALENUS



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
HÆMORRHOIDUM DIFFE-
RENTIA AB ALIIS CRUENTIS
ALVI FLUXIBUS,

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO
Auctoritate Gratiſſe Facult. Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
Præſide


DN. D. MICHAËLE ALBERTI,
Sacri. Maj. Reg. Boruſſ. Aul. & Conſiſt. Magi. Conſilia-
rio, Med. & Philoſ. Nat. Prof. P. O. Acad. Nat. Cur. Collega,
Societ. Reg. Boruſſ. Scient. Sodali, &c.
Facultatis Medicæ Decano ſpectatiſſimo,
Dn. Patrono, ac Promotore ſuo honoris cultu proſequendo,
PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. conſuetis An. 1727. d. 8. Octobr.
Publicæ Eruditorum Ventilationi ſubjiciet

Reſpondens
GEORG DAVID GROSCHUPFF,
Rotenburgo - Francus.



DIOSCORTIDES



PARACELSUS



Syſang Acad. Calcogr. fecit

16





PRÆLOQUIUM.



Quod Pythagoras olim, recensente *Diogene Laertio lib. 8.* postulavit, hominem ad sobriam Philolosophiam comprehendendam duplici precipuo instructum esse debere sensu, uno communi, sive cognitionis, altero discretivo, sive distinctionis, id nos merito etiam, in bono medico requirimus; quam ob rem *Hippocrates in Lib. de arte S. 20. text. 4.* & *Celsus* dixerunt, quod medicus qui sufficit ad cognoscendum, sufficiat etiam ad curandum; nec non *Argenterius in tr. de differentiis uorborum* professus est, quicumque medicus morborum genera, species, gradus, differentias & naturas rite pernoscit, ille etiam tales morbos perite percurare discit: Ex hisce liquet, quod cognitio & discretio in omni disciplina & arte fundamentum ex parte veritatis atque utilitatis existat: Quantum emolumentum hæc fulcra in Therapia medica promit-

promittant præbeantque, omnes periti medici suo suffragio illustrare & confirmare poterunt: hinc antiquissimorum medicorum laudabilis illa inclaruit solertia, qua genuinam, simplicem & propriam morborum Historiam posteritati commendarunt, quas laudes inter alios *Hollerius, Zacutus Lusitanus, Conringius, Reinesius* multique alii passim protulerunt: in hoc vero studio veneranda antiquitas nondum opus perfecit, sed multa posteritati amplificanda & adaugenda reliquit, id quod etiam *Seneca in Epistola 64.* professus est: interea laudati veteres non modo eleganti solertia observationes & historias morborum tractarunt & commendarunt, sed & posteritati calcar addiderunt, quod illorum vestigia premat & hanc fidem ac cognitionem historicam illustret & confirmer: & dum *Patres fuerunt lumina, non numina* ut *Kromayer in Theol. Post. Polem. Part. 2. c. 37.* dixit: ita de priscis etiam medicis haud cogitandum est, quod in historico tali studio rem perfecerint: quam ob rem ipse *Hippocrates in Epist. ad Democritum* de se profiteretur *text. 6. seq.* ego sane mihi videor majorem reprehensionem, quam honorem artis me affectum esse: ego enim ad finem medicinae non perveni, etiamsi jam *Senex sim: neque enim ipsius inventor Æsculapius:* Hinc ingenuorum medicorum ille inclaruit conatus, quo antiquorum inventa & observata plus roborant, veritas enim sæpius examinata magis elucescit *Can. grav. 35. q. 9.* neque in hoc negotio tantum & veteres & recentiores suam probarunt assiduitatem & dexteritatem, sed & in differentiis morborum eruendis & expo-

exponendis suam exercuerunt capacitatem: quem-
 admodum passim *Hippocrates* præcipue in *aphorismis*
 & *lib. de alim. V. text. 1.* de differentia morborum quo-
 ad sexum, ætatem, habitum corporis, loca, anni
 tempora, ventos, gradus, partium & regionum cor-
 poris, differuit, hinc peculiari instituto atque studio
 de differentiis morborum egerunt *Galenus Brunsfelsius*,
Ampfingius, *Argentarius*, *Vidus Vidius de curat. morb. ge-
 neratim Lib. 4.* *Marcellanus*, *Salzmannus* & commen-
 tatores in *Galenus tr. de diff. morb.* *Leoniceus*, *Joubertius*,
Roffellus, *Sebitzius*, *Sanchez*, *Sylvius*, *Fuchsius*, *Segarra*. Sicut
 enim communi dicterio affirmatur, quod qui bene
 distinguit, bene doceat, ita etiam nos adserimus, quod
 qui bene distinguit, bene curet, adeoque ad bonum me-
 dicum Sensus cognitionis & Discretionis pertineat:
 in hac morborum differentia rite indaganda & pe-
 rite commendanda Medicus eo etiam studium su-
 um dirigere debet, ut illos morbos qui quadante-
 nus convenire videntur, recte discernat, ne dein u-
 num pro altero adeoque perverse tractet: in hac
 morborum disquisitione sæpe non levis error com-
 mittitur, dum ob aliqualem signorum paritatem
 mox quidam discreti morbi pro uno eodemque æ-
 stimantur, hinc talia judicia circumvolant, quod
 variolæ & morbilli, malum hypochondriacum, pur-
 pura, lues venerea &c. Hippocrati exacte innotue-
 rint, quia in hujus scriptis quidam analogi reper-
 untur affectus: haud quidem seorsim in hanc mor-
 borum diversitatem penitus introspicere placet; il-
 lud tantum hoc loco annotamus, quod in Classe
 Hæ-

Hæmorrhagiarum quædam species occurrant, quæ sub apparenti convenientia, singulari tamen ratione discrepant: ita molimina ad narium hæmorrhagias tendentia & varii alii capitis affectus aliquatenus convenire videntur, sed re ipsa & formali ratione sæpe discrepant: sic ipsæ narium Hæmorrhagiæ genuinæ a profluvio cruento in Ozæna aliquando obtingente valde discrepant: porro Hæmoptysis cum sputo cruento interdum confunditur, sed re ipsa nullam tam arctam habet convenientiam, quin potius variis modis ab hoc differt: quandoque vomitus cruentus cum Hæmoptysi consentire videtur, quando ante ultimam Hæmoptyseos eruptionem, cardialgiæ, conatus vomendi & tandem actuales concurrunt vomitus, dum tamen sub attentiori scrutinio in tali subjecto illæ Hæmorrhagiæ admodum discretæ sunt: Mensium fluxus, quamvis cum aliis uteri Hæmorrhagiis & Hæmorrhoidibus fictis uteri convenire videatur, tamen quoad varias circumstantias discernendus est, sicut de *differentia Hæmorrhoidum uteri & Mensium* egit *Frommannus tr. de Hæmorrhoid. Part. II. probl. 48. p. 488. seq.* præterea in Mictione cruenta aliqualis obtingit differentia, quæ vera a simulata discernenda erit, qualem simulatum Mictum cruentum profert *Fort. Fidelis Relat. Medic. lib. 2. sect. 2. c. 2. p. 208.* ita interdum istic, nec non scorbutici sanguinolentam velut emittunt urinam, quæ a simpliciiori mictu cruento iterum distat: non minus quandoque in Gonorrhœa virulenta cruenta observatur urina, quæ iterum a com-

muni

muni mictu cruento distinguenda est: ex quibus omnibus facile liquet, quam frequentes & multiplices in Hæmorrhagarum negotio occurrant diversitates: in hac meditatione hac occasione devolvimur ad aliqualem disquisitionem processus Hæmorrhoidalis, qui sicut sua genuina indole admodum distinctus est, ita seorsim non infimæ dignitatis est indagatio, quomodo partim *molimina*, partim *profluvia* hæmorrhoidalia cum quibusdam affectibus, plane *alterius* speciei atque indolis convenient, ipsa vero forma sua penitus introspecta *exacte discrepent*; & quoniam ad ejusdem Hæmorrhoidalis negotii veram cognitionem multum confert, si hæc differentia probe attenditur & perite conciliatur & applicatur, ita præsentè Inaugurali specimine de HÆMORRHOIDUM DIFFERENTIA AB ALIIS CRUENTIS ALVI FLUXIBUS differere constituimus. Faxit divina benignitas, ut hoc propositum prospere & fructuose succedat.

§. I.

DE *diversitate* quæ inter *Hæmorrhoides* *aliaque cruenta alvi profluvia* intercedit differentes, ne diu in titulo explicando hæreamus, qui satis perspicuus est, illud tamen prævia brevi annotatione monere debemus, quod hæc confideratio ob varios respectus *notatu* perquam *digna* existat, & quidem 1) quia negotium *hæmorrhoidale* admodum *delicatum* & *intricatum* est: si itaque verum est, quod Celsus elocutus, quod qui bene cognoscit bene curet, verum etiam

etiam erit contrarium, quod qui male cognoscit, male curet; quicumque itaque Hæmorrhoidalem processum *male cognoscit*, ille eundem *male etiam curabit*; quicumque vero male *Hæmorrhoides* curat, ille tanto *magis* damnum provocat, quo *sensibilis* & ominosius *illud* hæmorrhoidale negotium est, quam ob rem tantamajori *providentia* moderatione & pericia Hæmorrhoides tractari debent; ad hanc *veram* Hæmorrhoidum cognitionem, *presens* meditatio ansam etiam subministrabit: 2) quia *Hæmorrhoides* cum variis *aliis* affectibus convenire videntur; si itaque horum *differentia* ab illis recte constat, tunc non modo Praxis medica *certo* nititur fundamento, sed & in illa magis salubres expectandi erunt progressus, cum vicissim a *confusione* affectuum multa fontica damna in foro practico erunt metuenda: 3) *presens* tractatio viam monstrat non modo ad *communem historicam* Hæmorrhoidum cognitionem, sed & ad *intimiorum* indolem & quadantenus ad *formaliter* illarum pernoscendam, secundum quam notitiam *salubres* Hæmorrhoides ad talem etiam scopum & effectum *promoveri*, *insalubres* contra a simili effectu & decursu *averti* & ita totum hoc negotium scite, perite & iudiciose tractari potest: 4) contribuit porro hæc meditatio ad solidam & veram cognitionem *consensus* & *dissensus* Hæmorrhoidum, nec non *simpliciorum* harum qualitatis & *complicatarum* indolis; quemadmodum Hæmorrhoides *aliquando* cum talibus *alterius* indolis affectibus *concurrere* solent, adeoque statum morbi *intricatorum* & ominosiorum reddunt: 5) ita præterea hæc disquisitio non modo *diagnosticam* & *Therapeuticam* Hæmorrhoidum commendationem & explicationem illustrat, sublevar & confirmat, sed etiam *Prognosticam* illarum disquisitionem allevat & certiorat, quid videlicet de *successu* *multisari* earum status judicandum, sperandum & metuendum sit: 6) hac ipsa deductione *novo* testamur documento, quod non *promiscu-*

miscuum de hæmorrhoidali negotio feramus iudicium, sed quod *exactum discrimen* servemus, dum neque in genere omnes Hæmorrhoides *laudamus*, neque *indiscretim culpamus*, neque etiam singulos illos affectus, qui aliqualem *analogiam* cum Hæmorrhoidibus habent, pro *veris* agnoscimus Hæmorrhoidibus, sed eandem *accuratam* differentiam sollicitè observamus & applicamus, insuper etiam *falsas* illas accusationes & narratiunculas aperte declinamus, quasi dogma *Stablianum nimium*, quam par est, hæmorrhoidali faveat negotio & de eodem magis *præjudicia*, quam *vera iudicia* loveat: Deinde illud adhuc quoad præsentis tractationis titulum monemus, quod secundum regulam juris *cap. odia 15. de R. I. in 6. dum odia restringendo. favores autem ampliandi sunt*, & præsens explicatio *favorabilis* & *utilis*, haud vero odiosa existit, ut jam indicavimus, non modo de Hæmorrhoidibus *fluentibus*, sed etiam *molientibus*, neque tantum de *aliis sanguineis* actualibus profluviis, sed & de *nonnullis aliis* affectibus, qui Hæmorrhoides *molientes* & *eluctantes* affectare & præsentare possent, sermo nobis occurrat, quales *varii* affectus in *sequentibus* nominandi, conferendi & iudicandi erunt: quemadmodum in eo gravis sepe error comittitur, uti *D. D. Præses in disput. de Hæmorrhoidum salubri & insalubri promotione* significavit, quando affectus plane *alterius* schematis aut indolis pro *hæmorrhoidalibus* motibus æstimantur & tractantur.

§. II.

Et dum differentiam Hæmorrhoidum ab aliis *analogis* affectibus monstrare cogitamus, antea brevi repetitione *varias* differentias Hæmorrhoidum in *proprio* suo negotio annotamus: quam ob rem in praxi medica innouit differentia quoad *vasa* & *loca*, unde aliæ dicuntur *internæ*, aliæ *externæ*, illæ *profundiores*, hæ *prominentes*, aliæ ex *arteriis* profluere dicuntur secundum *Frankenau diss. de*

B

He-

Hæmorrh. & Satyr. Med. p. 439. aliæ ex venis secundum Highmorum tr. de affect. hypoch. hyst. c. 1. (conf. de hoc diffensu Frommannus tr. de Hæmorrhoid. Part. 1. probl. 7. 8. 9.) aliæ nominantur fluentes, quædam molientes. e. aperte & cæcæ & hæc quidem ratione sui decursus: nonnullæ discrepant gradu, hinc dicuntur aut lenes, aut fluentes: quædam discrepant effectu, dum aliæ salubres, aliæ insalubres existunt: porro differunt quantitate, quæ aliæ sunt excedentes & prodigæ, aliæ deficientes & exiguæ: præterea discrepant sexu & etate, dum vel in viris, vel feminis, aut in junioribus, aut in adultioribus occurrunt: subinde etiam tempore & duratione discernuntur, quando quædam sunt recentes, aliæ inveteratæ: sic porro discrepant quoad specialiore temporis terminum, dum quædam sunt periodica, annuæ, æquinoctiales, solstitiales, menstruæ, aliæ erraticæ & vagabundæ: distinguuntur pariter quoad ordinem, quando quædam sunt modo regulares, modo anomale: differunt ratione originis, quæ aliæ sunt hæreditariæ, aliæ successivè acquisitæ; discrepant ratione causæ dum quædam ab intrinsecâ corporis dispositione, aliæ à medicamentis oblati oriuntur; discrepant occasione, quando aliæ sponte & tacite, aliæ coactè & violento quodam modo eructant: intercedit quoque differentia Hæmorrhoidum in feminis extra gravidationem & sub eadem, nec non sub mensium defectu, & cum mensium alternatione: aliæ sunt hæmorrhoides turgentes, quædam tumentes, aliæ sunt continuæ & habituales, aliæ raræ & difficiles, aliæ sunt symptomaticæ & aliæ vocantur criticæ; differunt ratione objecti, dum quædam sunt exquisitæ sanguinæ, aliæ albæ, nonnullæ serpiginosæ: aliæ sanguinem purum, quædam atrum profundunt: discrepant quandoque quoad modum, dum aliæ libere eructant & continuant, nonnullæ cum motibus spasticis, inflammatoris, febrilibus procedunt, quædam in ulcero sum statum degenerant, aliquæ sunt verrucosæ, uales,

les, vesicales &c. quædam hæmorrhoides dicuntur *endemiæ*, ut Rodericus a *Fronseca* *consult* 27. & ex eodem *Frommannus* l. c. *Part. 1. probl. 37. p. 167.* nec non *Franckenau* *loc. cit.* recensent, quædam *certis familiis* propriæ observantur *conf. Schenkii obs. de hæmorrh.* aliqua hæmorrhoides annotantur *fluide*, quædam vicissim *grumose*, quales posterioris qualitatis describit *Corbejus* *Pathol. lib. 2. Sect. 4. c. 12. Salmuthus* *Cent. 1. obs. 72. Franckenau* l. c. *Frommannus* l. c. *Part. 1. probl. 15. p. 75.* Sunt etiam quædam Hæmorrhoides *tumultuariae*, aliæ vero *ordinate*, quædam *interruptæ*, aliæ *constantes*, aliæ *puerorum*, quædam *senum*: quædam *ex solitis*, aliæ *ex insolitis* locis procedentes, quædam *effluentes* & *persistentes*, quædam *retrocedentes* & *vagabundæ*, quædam *malignæ* i. e. in mala *consectaria* pronæ, aliæ *benignæ* & *mites*; nonnullæ sunt *simplices*, aliquæ etiam sunt *complicatæ*, quæ posteriores ut plurimum sunt *symptomatiæ*, velut in *hypochondriaco*, *scorbutico*, *splenetico*, *venereo* &c. affectu, quædam in *feminis*, leorū etiam *gravidis* etiam quandoque sunt *liberæ*, aliquæ sunt *crasso* *violento* & *coactō* modo provocatæ, aliæ nominantur *numerose*, nonnullæ *pauca*, quædam *initiantes*, aliquæ *perfectæ* & *perseverantes*, aliæ *magnæ* & *inflatæ*, aliæ vero *parvæ* & *depressæ*: aliæ *morigeræ* sive tractabiles, aliæ *immorigeræ* *intractabiles* & *refractariæ*, aliquæ *falsæ* & *apparentes* aliæ vero *certæ* & *veræ*, cum qua *ultima* differentia *presens* nostra tractatio imprimis convenit: quam *multiplices* itaque hæcenus enarratæ sunt differentiæ, qua *mutuæ* inter se admodum *conveniunt* & unam eandemque circumstantiam exhauriunt atque comprehendunt, ita *singulæ* ut plurimum *ipsum statum* hæmorrhoidalem concernunt: in *nostra* vero consideratione instituitur *comparatio* quorundam morborum, qui quandoque cum *hæmorrhoidali* negotio consentire videntur, attamen ab hoc eminenter discrepant; quippe quæ differentia *peculia-*

culiarem meretur attentionem, sicut de hac ultima ex parte egit *Frommannus l. c. Part. I. probl. 44.* de prioribus vero *probl. 2.* quam meditationem in generali hujus thematis tractatione præmittere placuit.

§. III.

In *specialiori* præsentis thematis explicatione nunc aliquos affectus cum *Hæmorrhoidibus* comparare & *dysenteriam* intervenientem annotare volumus: Primo itaque loco *Hæmorrhoides* interdum cum *Dysenteria rubra benigniori* convenire videntur, dum *uterque* fluxus *sanguinolentus* est, interdum cum multis molestiis & *doloribus* *Hæmorrhoides* conjunctæ sunt, porro *dysenteria* quandoque in subjectis *talibus* obtingit, quæ per plurimas *causas* & *circumstantias* hæmorrhoidaria, aut ad hæmorrhoides fuscipiendas *disposita* esse, judicantur, dum etiam *aliquando* in talibus subjectis *hæmorrhoidalia* molimina & profluvia *præcurrere* solent, ut tandem *dysenteria superveniens* pro *Hæmorrhoidibus* habeatur: idem etiam contingit, ut *Hæmorrhoides* pro *Dysenteria* æstimentur, quando *ille* videlicet in nonnullorum animis pro *ravissimo* affectu habentur, quando interdum cum *atrocibus doloribus* ingruunt, quando etiam *tali* tempore invadunt, quo *dysenteria* affligere solet, quando porro *eodem* temporis termino *alii* homines *dysenteria* laborant, quando denique *sanguis* proflus non adeo *sporidus* & tenuis, sed obscurus existit, aut quando ille hæmorrhoidalis fluxus tales etiam *prægressas* causas mox excipit, quæ *dysenteriam* etiam provocare possunt: huc quadrat quod *Illustris D. D. Stahlus disp. de Dysenteria p. 13. seq.* profitetur, cujus hæc sunt verba: *Si ulla est affectus species, quæ dysenteriam satis graphice simulet, sunt profecto eruptiones hæmorrhoidales torminose, licet rarioribus exemplis occurrentes:* confirmat *Celeb. vir* hoc assertum aliquot annexis observationibus *Præcticis:* ita etiam *Arnoldus*

noldus Villanovanus Breviar. Lib. 2. c. 26. elocutus est, quod multi Hæmorrhoidarii pro dysentericis habeantur, id quod etiam Riverius in Praxi, Waleus, Sennertus alique ubi de Hæmorrhoidibus tractant restantur: brevibus etiam hanc differentiam inter Hæmorrhoides & Dysenteriam attingit Frommannus tr. de Hæmorrh. Part. I. probl. 44. Hollerius Tom. II. opp. sic Etmullerus in Opp. Pr. Part. I. p. 104. ubi de Dysenteria agit, ita sentit: Hippocrates & veteres scriptores hoc ipso nomine semper intellexerunt fluxum alvi cruentum, & quodocunque per alvum sanguis fuit evocatus, vocarunt dysenteriam exceptis saltem hæmorrhoidibus, quibus adhuc sua stat auctoritas: & Rondeletius in Opp. Pract. loc. de Hæmorrh. Hæmorrhoides videntur magnam habere cum dysenteria cognationem, sed magnum inter utrumque fluxum est discrimen. Discrepant itaque Hæmorrhoides a dysenteria sequentibus modis 1) dum peculiarem ætatem, speciale temperamentum & vitæ genus servant, cum contra dysenteria has rationes haud attendit, sed promiscue, aut ad minimum non simili modo homines invadit: 2) Hæmorrhoides ut plurimum certos apparatus & prævias præparaciones continent; Dysenteria vero promiscue etiam & ut plurimum simul & semel homines invadit: 3) Hæmorrhoides sæpe in externa regione, utpote lumborum, coxendicum, motibus spasticis accessum suum parant, minus equali ratione dysenteria: 4) Hæmorrhoides in inferiori intestinorum tractu cruciatus suos nonnunquam exferunt, dysenteria ut plurimum in superiori: 5) Hæmorrhoides rarius alvum lubricam concomitantem habent; Dysenteria a diarrhæa aliquando incipit, ut plurimum vero strenuas alvi exoneraciones infert: 6) Hæmorrhoides aliquando tantum quasi colicos spasticos torminosos cruciatus, Dysenteria vero semper acerbiores, acutiores, lancinantes, ardentis, moricantes, dilacerantes, pungentes &c. conjunctos habent: 7) Hæmorrhoi-

-an (oc

B 3

rhei-

rhoides *peculiarem terminum temporis* servant, Dysenteria etiam iterum singularia *alia* anni tempora & tempestates observat: 8) Hæmorrhoides non nisi in *uno* aut *altero* subiecto occurrunt, Dysenteria, quamvis non sit *epidémica*, *numerofiores* tamen invadit personas: 9) Hæmorrhoides ut plurimum *masculinum* sexum detinent; dysenteria contra *sequiorem* etiam corripit: 10) Hæmorrhoides cum *fecibus* ordinariis alvinis cruorem eructant; dysenteria plane *corrupta* excrementa dejicit: 11) Hæmorrhoides sanguinem *sincerum* & rubicundum evacuant; Dysenteria contra sanguinem colore & consistentia *pravum*, spumosum, atrum, *semi corruptum*: 12.) Hæmorrhoides ut plurimum *non sunt fetide*; Dysenteria vicissim excrementa valde *fetentia* dimittit: 13) Hæmorrhoides ut plurimum non tanto *præcipiti*, immoderato, continuo, excedente, conatu excretionem urgent, ut Dysenteria: 14) Hæmorrhoides post *aliqualem* excretionis successum *mitescunt*; Dysenteria vero in sua *vehementia* durante & persistente quamvis multa & prodiga excretionem *continuat*: 15) Hæmorrhoides infrequentius *tenesmum* comitantem habent, quem *communiter* Dysenteria conjunctum servat: 16) Hæmorrhoides quo *acerbioribus* stipata sunt *spasms* & doloribus eo impeditius & *parcius* fluunt; Dysenteria contra sub *gravioribus* cruciatibus *largiores* servat successus & dejectiones: 17) Dysenteria porro ratione *durationis* communiter *superat* hæmorrhoidum decursum, qui ultimus *breviori* circumscriptus est ambitu: 18) Dysenteria sæpissime cum *diarrhæa acri* aut *biliofa* inchoat, *minus* vero Hæmorrhoides: 19) Hæmorrhoides sub *alvina* excretionem ut plurimum *levamen* inferunt, in Dysenteria vero, *quoties* dejicitur alvus, ingens *cruciatu* & intestinorum depressio cum *dolore* & molestissimo viscerum omnium quasi descensu adest, ut e. *Sytenhamii* verbis, hanc annotationem exprimamus:
20) Hæ-

20) Hæmorrhoides ut plurimum una dejectiones *stercoreas* continent, *minus* vero Dysenteria: 21) Hæmorrhoides porro communiter *partes* cum *vasis* hæmorrhoidalibus aut *internis* aut *externis*, quoad motum *progressivum* sanguinis consentientes, certis *sensationum* speciebus afficiunt, velut *vene portæ* systema & affinitatem, nec non *vesicam urinariam*, *venes* & reliquas cum *iliacis* vasis conspirantes; Dysenteria, maxime *intestina*, *mesenterium*, *ventriculum* & cum *nervis* harum partium proximius consentientes alias partes in commercium morbosum ducit: 22) denique *quilibet* affectus tam *hæmorrhoidalis*, quam *dysentericus* *specialissimus* plane signis discrepat, quæ in cujuslibet historia præcipue innotescunt: Et hæc, brevi commendatione de Hæmorrhoidum & Dysenterix diversitate proponere placuit.

§. IV.

Deinde advertenda est *differentia* inter *Hæmorrhoides* & *Diarrhæam cruentam*: hæc posterior vel *præviã* dysenteriam sequitur, quando in hac *vascula* sanguifera horumque orificia nondum firmo tegmine tuniceo munita & subinde valde *hiantia*, aliquandiu sanguinem stilant, qui sub mitioribus intestinorum torsionibus excernitur, donec illa vasa *firmius* obtecta, huic *passivo* sanguinis fluxui finem imponant: plane *alterius* indolis sunt Hæmorrhoides, quas ratione *originis*, *connexionis*, & *decursus* facile a prædicto cruento alvi fluxu discernere quisquam potest: in *nonnullis* subjectis habet hæc diarrhæa cruenta *affinitatem* cum fluxu *hepatico*, & ab hepatis vitio ortum trahit: *conf. Bonetus in Polyaltbe Lib. 4. c. 32. p. 640.* qui in hujus affectus explicatione ad *Ettmullerum*, *Duretum*, *Hollerium*, *Menjoitum* provocat: *alio modo* contingit Diarrhæa cruenta (qualis species allegatur in *A. E. L. An. 1699. Mens. Nov. p. 517. 518.* & *Rbodius Cent. 2. ohf. 85.* *Diarrhææ sanguineæ Criticæ* mentionem facit) quæ perinde ab Hæmor-

Hæmorrhoidibus differt, quando in subjectis admodum *plethoricis* & *siccioris* atque *strictioris* alvi aliquando cum *violenta* pressione sanguis talem *extravasationem* & *excretionem* patitur, qui affectus adhuc a *regulari* Hæmorrhoidum statu valde *discrepat*, quoniam Hæmorrhoides quoad *genuinam* & *legitimam* suam *indolem* *libere*, sponte & *interna* activa directione & *modificatione* procedunt, quamvis nonnunquam a tali *coacta* causa proximo *regulari* Hæmorrhoidum fluxui *occafio* subministrari queat: talis Diarrhœa *cruenta* *nihil* levaminis affert, uti Hæmorrhoides *legitime* procedentes efficere solent: quemadmodum *illa* in *subjectis* interdum obtingit, quibus ratione *ætatis*, temperamenti, *sexus* &c. hæmorrhoidalis fluxus *proxime* familiaris *haud* existit: intercedit etiam illud *discrepantiæ* signum, quod in nominata diarrhœa *laboriosa* illa alvi expressoria exoneratio longe *difficilior*, *acerbior* & *gravior* existat, quam in *alio* hæmorrhoidali statu: præterea illa diarrhœa *indiscretotempore* & a *tallibus* causis oritur, quæ alvi *successum* *difficiliorem* reddunt, sicut *alimenta* *incrassantia*, *adstringentia* huc contribunt, ut itaque facile ex causis & signis *antecedentibus*, *coincidentibus* & *consequentibus* differentia illa agnosci queat: datur etiam Diarrhœa sic dicta *scorbutica*, quæ perinde nonnunquam *cruenta* est, cujus *Ergalenus* & ex hoc *Eit-müllerus* in *Prax.* ubi de hæmorrhoidibus agit & iterum ex hoc *Bonetus* ubi de Diarrhœa & Scorbuto tractat, ut & *Hollerius* *Lib. 2. chf. 38.* & *Sennertus* mentionem faciunt, quæ similiter *nihil* *adjumenti* affert, siquidem a causa *mere* *morbosa* & *afflictiva*, videlicet *spissitudine* & *stagnatione* sanguinis in venis intestinorum, nec non ab *acriori* cruditate in intestinis contenta provenit, quibus utrisque *spasmodicæ* intestinorum *stricturæ* *resistunt*, sub quibus tandem *fortuite* tales sanguinis eruptiones contingunt, quæ in *formali* sua ratione a *genuino* & *regulari* Hæmorrhoidum

rhoidum fluxu omnimode discrepant: & licet *interdum* sub affectu *Scorbutico* congrui & *ordinati* hæmorrhoidales conatus concurrant, tamen prædicta eruptio & evacuatio sanguinis, a *vera* Hæmorrhoidum indole utique distat: in qua differentia eruenda & agnoscenda, inquirendum erit, an tales motus *hæmorrhoidales ante* scorbutici huius affectus invasionem & accrementum præsto fuerint, an minus: aut an *sub* scorbutica illa afflictione proprii apparatus hæmorrhoidales invadant, an vero vicissim *confusi* alii vagi motus *colici* obtingant, qui cum *aliis* in corpore individui grassantibus spasms aut *alternant*, aut *concurrant*: proinde hæc diarrhœa scorbutica ut plurimum sanguis *grumosus* & *ater* excernitur, quia sanguine *hæmorrhoidali*, licet & hic *aliquando* nigricantior sit, tamen *specialissima* ratione discrepat, dum ad minimum in *simpliciori* hæmorrhoidali statu sanguis *non ita* grumosus & coagulatus deprehenditur: Alia præterea est *Diarrhœa biliosa*, quæ sub *vehementiori* successu in subiectis *plethoricis* aliquando *cruenta* evadit, sed iterum ab *hæmorrhoidibus* differt, dum *una* cum sanguine *biliosa* illa tenuis & cum fluidis excrementis commixta subtilitate dejicitur, qualis humorum *miscela* in veris ac *simplicibus* Hæmorrhoidibus haud excernitur; id enim in illa *biliosa* diarrhœa contingit, ut dum *acrior* bilis internam mollem vasculosos villosam tunicam eliquat, abstergit & *arrodit*, eo ipso etiam vasculorum *sanguiferorum* oscula denudat, dum etiam in *plethoricis* vasa sanguifera *turgidiora* & pleniora sunt, insuper etiam sub hoc affectu a reliqua corporis distantia sanguis largius *ad intestina* confluit, tanto facilius concurrentibus *spasticis* commotionibus intestinorum *violenta* quadam & plane *distincta* ratione quædam vascula *dilacerentur*, indeque *aliqualis* sanguinis quantitas *extravasationem* patiatur, quæ cum reliqua biliose colluviei exturbatione una projicitur: ut ita *in formali* utriusque

C

affe-

affectus ratione aliqua consideratu digna *discrepantia* ob-
 tingat: Datur denique *Diarrhœa Verminea*, quæ cum
Hæmorrhoidibus convenire videtur, sed *sua indole* ab hi-
 sce perquam *differt*: talis diarrhœa interdum plane *cruenta*
 est, quando *vermes morsibus* suis atrocius intestina violant,
 arrodunt, excoriant, aut *excrementis* suis *acrem* quandam
 saburram generant, quæ intestina arrosa *acerbius* stimulat,
 ut tandem *facilius sanguis* extravasetur & evacuetur: hæc
 vero *cruenta* dejectio facile *a sua causa* derivari & ab Hæ-
 morrhoidibus discerni potest, siquidem ex *multis aliis*
 signis in talibus subjectis *vermium* præsentia, sentina & la-
 tio agnosci potest, præcipue dum *talis* dejectio *cruenta*
 non modo cum reliquis *præcipuis* circumstantiis ad *Hæ-*
morrhoidum Historiam spectantibus *haud* convenit, sed &
 plane *nociva* est, adeoque nullo *reali* respectu aut theore-
 tico, aut practico cum Hæmorrhoidum negotio conve-
 nit: Et hæc de Hæmorrhoidum discrepantia cum Diar-
 rhœa cruenta sufficiant.

§. V.

Alius porro affectus morbosus occurrit, qui cum
Hæmorrhoidibus convenientiam habere videtur & qui no-
 minatur *Mal de Paris*: affectus qui Lutetiis Parisiorum
 obtingit, de quo *Celeb. D. D. Stablius* in *disp. de dysenteria*
cap. 3. p. 17 dicit: *non possumus silentio præterire peculiarem*
fluxum, quem vulgo dysentericum interpretantur alii, alii
pro hæmorrhoidali potius agnoscunt, qui Lutetiis Parisiorum
peculiariter familiaris esse vulgo memoratur: quo loco eti-
 am differentiam inter hunc morbum & dysenteriam pro-
 ponit: ut ut vero illa diarrhœa cruenta etiam *sanguinem*
 sincerum evehat, tamen *variæ circumstantiæ illius diversita-*
tatem ab Hæmorrhoidibus produunt; quemadmodum illud
 malum *diversæ ætati, diverso sexui, temperamento, in-*
ordinato tempore & longinquiori duratione evenit, neque
 etiam aliqua *repetitione*, prout *hæmorrhoidali* negotio in
 more

more positum est, *conformitatem* suam cum Hæmorrhoidibus testatur: quemadmodum in locis *calidioribus* sub climate & diæta æstusiori negotium hæmorrhoidale adeo frequens esse haud solet: ut ita *frequentia illius* mali hoc respectu in relatione ad locum diversitatem cum Hæmorrhoidibus probare adjuvet: quo præcipue spectat quod ille affectus Gallicus communiter cum diarrhœa *simpliciori* inchoet, qui *ordo* Hæmorrhoidibus familiaris haud existit. Porro communis differentia inter *Hæmorrhoides* & Fluxum *Hepaticum* annotatur, quam varii medici proponunt, velut *Frommannus* tr. de hæmorrh. Part. 1. probl. 44. *Doleus* in *Encycl. Medica* Lib. 3. c. 10. *Sennercius*, *Waleus*, *Rivierius*, *Montagnana*, *Forestus*, ubi de *Hæmorrhoidibus*, *hepatia* affectibus & fluxu hepatico tractant: & quamvis interdum fluxus hepaticus formaliter cum Hæmorrhoidibus consentiat, dum *imperfecte* decurrentem motum Hæmorrhoidalem constituit, ut sub *irregulari* congestione & *insufficiente* vasculorum hæmorrhoidalium eruptione tale liquamen *dilute* eruentum effluat, tamen nonnunquam cum Hæmorrhoidibus directe & proprie haud convenit, quando videlicet ob *infarctum Hepatis* inferior aut dexteræ venæ portæ ramus per *mesenterica* & hæmorrhoidalia sua vasa sanguinem *progressivo* suo motu *sufficiente* intra hepar effundere haud potest, unde *regurgitationes* tales in extremitates prædictorum ramusculorum & furculorum, subinde etiam *infarctus* & stagnationes sanguinis in *intestinis* oriuntur, sub quibus partim *secessiones* tales humorosæ *seroso mucaginose*, partim quædam *tenuissimorum* vasculorum *sanguiferorum* eruptiones contingunt, quæ *exiguò* suo exstillante sanguine hanc *uncturam* & *loturam* constituunt; quam ob rem in tali statu excretio *alvina* non *sinceram* sanguinem utpote in *Hæmorrhoidibus*, sed liquamen loturam carniùm referens, continet; hic fluxus iterum facile *revertitur*, quamvis *antea repressus* fuerit, neque

neque singularia aut *acerbiora* pathemata affert, quod *Hæmorrhoides minus* efficere solent, quæ post *præviã oppres-*
ionem non modo *ægrissime* recurrunt, sed & *graviora* post
 se relinquunt pathemata; & quamvis *aliquando* tales *Hæ-*
morrhoides loturam carniũ referentes obtingant, ut
 ante notavimus & illarum *Etmullerus Opp. Part. 2. Prax de*
hæmorrh. p. n. 170. b. reminiscitur, tamen illæ *acerbiora* in-
 ferunt afflictionum morbosarum specimina, quam quæ
fluxum hepaticum, ab *Hæmorrhoidibus* discrepantem, com-
 mitari solent: inter alia discrepantiæ signa *Doleus l. c.* hæc
 proferet: *a fluxu autem hepatico discernuntur Hæmorrhoides*
fluentes, quod hic feces post sanguinem excernantur, in fluxu
vero hepatico hoc fit contrario modo: quamvis quidem hoc
 non ordinariè contingat, sed potius sub hoc fluxu hepati-
 co *instar diarrhæe* lotura illa sanguinolenta excernatur, ta-
 men sua excretionem *Hæmorrhoides ordinariè* fluentes in-
 dicatum modum servare solent: subinde facile ex *origi-*
ne fluxus hepatici prudens artifex hujus convenientiam &
 discrepantiam cum *Hæmorrhoidibus* agnoscere & indi-
 care potest, ne in utrumque fluxum confusio committatur;
 ita non raro cum *hepatis vitis*, quæ minime *promiscue* cum
Hæmorrhoidibus consentiunt, fluxus ille, qui propterea
 hepaticus nominatur, conspirat, unde etiam in tali statu
 semper *hepatis consensus morbosus* observatur, qui tamen
 in *hæmorrhoidali* negotio non nisi sub *singulari* & *reservato*
 respectu & causarum ordine, adeoque minus comparative
frequenter, sed in valde *ominoso*, imo ut plurimum *periculoso*
 statu annotatur: & hoc etiam modo talis discrepans fluxus
 hepaticus legitime curari potest, quamvis nullus ad *hæ-*
morrhoidalem processum respectus habeatur.

§. VI.

Singularis porro differentia intercedit *Lienteriam*,
 inter & *Hæmorrhoides*: quando enim illa cum hisce *con-*
venire videtur, accidit aliquando, ut *Lientericum* illum alvi
 fluxum

fluxum sensibiles *intestinorum torsiones* antecedant, ob quas quisquam imminentem *hæmorrhoidalem* fluxum suspicari & expectare possit: quid quod interdum evenit, ut sub *torminoso* tali *Lienterico* fluxu una cum assumptis cibis vel minus vel semi concoctis, stigmata quædam *cruenta* aut *grumi* sanguinolenti excernantur, unde tanto facilius, quisquam *appropinquantem* fluxum hæmorrhoidalem accusare possit; ast *excreta alimentosa, indiscreta* subjecti ætatis, vitæ, sexus, temperamentique ratio, *paucitas* sanguinis qui egeritur, *perbrevis* hujus cruentæ dejectionis duratio, nec non illius excretionis prompta *cessatio*, quando *torsiones* intestinorum *remittunt*, ut & *carentia* omnino *forum consequentium* pathematum, quando hic cruentus fluxus *cobibitus* fuit, facile utriusque affectus veram & realem *discrepantiam* attento & perito artificio monstrabunt & probabunt: Per *hypercatharsin* communiter *sincerus* excernitur sanguis, uti de *Colocynthide* *Tulpius Lib. 4. c. 26. Platernus lib. 3. obs. p. 805.* ut & de aliis subjectis, quæ *superpurgationem* provocarunt *A. N. C. dec. 1. an. 1. obs. 54. Paulus Aegineta de re med. lib. 7. c. 7. de iis qui nimium purgantur, Forestus lib. 22. obs. 16. Ranchinus de curat. morb. a purgatione c. 5. Mecklerus de hypercatharsi* & multi alii testantur, & quamvis hæc dejectio non modo *cruenta*, sed & cum multis *torminibus* stipata existat, tamen illius *diversitas* ab hæmorrhoidali fluxu valde *manifesta* est, quando videlicet *utriusque* fluxus & *origo & successus* & *therapia* advertitur, siquidem quoad hanc *posteriorem hypercatharsin* cruenta *cobibentia* remedia cum *euphoria* perfert; hæmorrhoidalis vero status ut plurimum ab *horum* usu, præcipue prompto gravissimis *damnis* subjicitur: hinc *formalis* & absoluta inter utrumque fluxum intercedit *discrepantia*: & quamvis in illa *nimia* purgatione graves una concurrant *tenesmi*, tamen & *hi* ab *illis*, qui *Hæmorrhoides* comitari solent, iterum *discrepant*, quando videlicet in *hypercatharsi*
cum

cum *frequenti fluida* dejectione illi decurrunt, in Hæmorrhoidali vicissim processu, *abvus* communiter *sicca*, dura & *difficilis* existit, proinde in illa hypercatharsi, quamvis *copiose sanguis* interdum excernatur, *tormina* tamen nihilominus *acerbius continuant*; contrarium vero *urthriticum* in hæmorrhoidibus contingit, in quibus intestinorum torsiones *remittunt*, quando nunc sanguis *liberius* decedit: de reliquo facile e *toza* Hæmorrhoidalis processus *Historia* signa quædam occurrunt, quæ *urivusque* fluxus *differentiam* produunt: quando itaque quædam subiecta primam hypercatharæ causam & occasionem *occultant* & nihilominus hujus affectus *curam* medico offerunt, tunc hic facile de *hæmorrhoidali* motu suspicionem capere potest, ni perspecta hac differentia & instituta *curatori* inquisitione rem melius cognoscat: Interdum occurrit alvi *cruentus* fluxus ex interna *intestinorum* corrosione, aut *ulceratione*, quale exemplum recensetur in *A.N. C. dec. 3. an. 2. obs. 14.* aut quando concrementum *parenchymaticum* post diarrhœam *biliosam*, aut *dysenteriam* in intestinis natum, denique sub magnis *colicis torsionibus* & conatibus expellitur & sub hoc processu *comitatum sanguinolentæ* dejectionis servat, qualem parallelum casum recenset *Bartholinus Cent. 2. hist. 70.* sub titulo *depositionis alvi cum sanguine grumoso*: interim aliquando contingit ut talia *concrementa*, firmiter *intestinis* adnata, sub valde *dolorificis intestinorum* torminibus & quandoque contortionibus & *involutionibus* retineantur adeoque ad præmaturam *mortem* disponant: tales itaque *cruentæ* dejectiones ab Hæmorrhoidibus *veris* exacte sunt discretæ; dum vel una *saniosa, ulcerosa, fetida* materia per satis durabilem temporis tractum excernitur, insuperque corpus *egritabida* quadam afflictione obducitur, vel aliæ *confusæ* commotiones, quæ cum processu hæmorrhoidali *comparari* haud possunt, concurrunt, proinde etiam *reliquæ* circumstantia

stantiæ cum *Historia Hæmorrhoidum* vix conveniunt, aut ob *granosam* dejectionem *diversitas* sanguinis hæmorrhoidalis perinde elucescit: hinc periti artificis officium est, ut differentes tales alvi fluxus bene pernoscant, sicut inter alios *Blegny in suo Zodiaco Gallico An. 1680. Mense Novembri* diversas tales diarrhoearum species laudabili studio proposuit & commendavit.

§. VII.

Præter hæcenus recensita specimina cruentæ alvinæ dejectionis illa porro singularis species mentionem meretur, quando quidam homines ab *assumptis rubicundis* alimentis aut potulentis *tales* dejectiones alvinas experiuntur, quæ *quasi sanguinolentæ* & hæmorrhoidales apparent: ita *Hagedornius in Cynosbatologia* commemorat casum ubi quidam ex largiori comestione *recentium Cynosbati* fructuum diarrhoeam *velut sanguineam* perpeffus fuit, cum tamen tinctura a *colliquata rubicunda* fructuum tunica aut pellicula provenerit: similes casus constant *D. D. Præfidi* ubi *fæmina*, quæ post gravem iracundiam essentiam stomachicam largiori dosi ingessit, in qua magna pars *croci orientalis* præsto fuerat, alvi fluxum *quasi cruentum* subiit, dum *crocus* cum recrementis *biliosis* talem saturatam tincturam obtulit, ac si sincerus effunderetur sanguis: in alio casu obtigit, ut puer quinque annorum a prodiga *mororum* ingestione diarrhoeam *quasi sanguinolentam* conceperat, similiter *Ettmullerus Opp. Part. 2. Prax. p. 96.* ubi de vomitus cruenti diagnosi tractat, allegat casum de *dejectione ex alvo vinirubri cerasini*; & *Zac. Lust. Med. Princ. Hist. Lib. 2. hist. 78. p. 32.* recenset historiam de *dejectione alvi nigra ab assato sanguine*: nec non *Melchior Carterius in Exercitationibus de Epilepsia tom. 2. c. 4.* commemorat casum ubi epilepticus post potum *sanguinis humani* & magnam corporis commotionem incidit in *alvinam dejectionem sanguinolentam*: ut aliarum parallelarum observationum hac occasione

sione haud mentionem injiciamus: tales alvi *tinctas* exonerationes quisquam pro *hæmorrhoidali* insultu agnoscere possit, qui non attenta applicatione in *originem* mali inquireret: ast qui *genuinas* hæmorrhoidalis negotii circumstantias & *sanguinis* hæmorrhoidalis qualitates cum *prædictis* excretionibus conciliat, facile punctum discrepantiæ inveniet: e re itaque & ex officio medici fuit, quo in *dubio* tali statu sedulo in *pregressas* tales causas, præcipue, quæ cum *diætæ* ratione conveniunt, inquirat: sicut interdum evenire solet, ut *rubicunda esculenta* & *potulentia* reliqua tenuia in intestinis hærentia excrementa *tingant*, quæ sub reliqua *biliosa* colluvie in intestinorum tractu fluctuante, sub specie Diarrhœæ cruentæ & hæmorrhoidalis fluxus expelli solet: Testatur porro experientia quomodo ex *Vomitu sanguinis* subito *suppresso* nonnunquam *cruenta dejectio* oriatur, quæ hæmorrhoidum *similitudinem* referre possit, quando videlicet sanguis *repressus* per *inferiora* loca ejicitur, quale specimen excretionis allegatur in *A. N. C. Dec. 1. an. 10. obs. 20. p. 71.* ubi historia recensetur *alvine cruoris nigricantis* & *fere picci dejectionis a vomitu sanguinis represso*: & si in vomitu cruento aliquando sanguis non per *vasa brevina*, sed secundum *Lowium* in *A. N. C. dec. 2. an. 8. obs. 225. p. 272.* per *vasa mesarica ad intestina decurrentia* juxta *Horsium*, *Blancardum*, *Stalpart. van der Wiel* pervenit, ita facile etiam cum dejectione *alvina* aliqua portio *sanguinis* evacuari potest, quæ in nonnullis casibus neque de *sanguine*, neque de *indole* hæmorrhoidali est, ut ut enim interdum vomitus cruentus cum *Hæmorrhoidibus* *consensum* habere solet, tamen inter *utramque* fluxum interdum *differentia* obtingit, quam considerationem fasius *D. D. Præses* in *disp. de Vomitu cruento* explicavit, hinc ex vera cognitione negotii *hæmorrhoidalis* peritus artifex hanc dejectionem *alvinam* à vomitu cruento dependentem in quantum cum *Hæmorrhoidibus* convenit aut discrepat dijudica.

dicare debet: & quid familiarius est, quam ut *Lienosi* aliquando cruentas tales dejectiones experiantur, uti tales historias allegat *Marcellus Donatus histor. med. mir. ab. lib. 4. c. 9. p. 342.* & ex hoc *Schenckius* in loco, ubi de *Liene* tractat, nec non *Hallerius in schol. 48.* *Höchstetterus* *de cad. 2. cas. 5.* *Platerus lib. 3. obs. 1.* *Crato Lib. 6. conf.* *Horstius Epist. medic. Lib. 2. Sect. 15.* *Rhodius Cent. 2. obs. 65.* *Aetius terrabibl. 3. Sermon. 1. c. 1. de iis. quibus sanguis per ventrem deseritur, Arculanus pract. tract. 2. de fluxibus alvi c. 2. de fluxu sanguineo.* *Mich. Crügener in Chymischen Frühling p. 558.* *Fernelius medic. univ. lib. 6. de morb. part. c. 10. l. 4. Pont. consult. med. 39. de alvi fluxione varia.* *Capivacius Pract. Lib. 3. c. 17. p. 722.* qui posterior hoc loco varias differentias fluxus alvi sanguinolenti profert & inter alia dicit: *Sed oportet distinguere fluxum hunc sanguinolentum ab hæmorrhoidibus: Zac. Lusit. M. P. H. Lib. 2. hist. 139. obs. 6. p. 424. de cruenta dejectione critica agit: & Mæbius in Epitom. instit. med. lib. 2. c. 6. p. 199. 200. dicit fluxus alvi cruentus interdum contingit sine intestinorum exulceratione solum a vasis mesenterii p. n. apertiis. - - Lienis vitium hinc quoque in culpa est, hinc interdum scorbuticos tali fluxu laborare auctores observarunt: exempla videre licet apud Horstium lib. 4. obs. 3.* sed sufficiant hæc testimonia, quibus ipsis probamus splenicorum cruentam dejectionem: sed hoc loco iterum affirmamus, quod aliquando talis dejectione cum hæmorrhoidibus apprimè contentiat, uti *Dn. D. Praeses* demonstravit in *disp. de Malo Splenetico*, aliquando vero nihil commercii habeat cum negotio hæmorrhoidali, quando ob *coactam regurgitationem* sanguinis propagines venæ portæ mesentericæ adeo inturgescunt, ut denique *citra salutarem destinationem* eructent: talis itaque fluxus circumspecte discernendus est ab *Hæmorrhoidibus*, quæ differentia iterum facile ex utriusque signis & pleniori historia peti potest: Et quid familiarius est, quam ut *cruenta* dejectiones oriuntur a *violenta abdominis contusione, calcitracione & compressione*, quam

sæpe vomitus cruentus, mictio sanguinis & diarrhæa cruenta (qualem specialem casum Riedlinus Lin. Med. An. 6. lul. obs. 24. p. 313. de Sanguine post lapsum per alvum excreto allegat) excipiunt: qualis posterior iterum ab Hæmorrhoidibus exacte discrepat, quas multiplices discriminis circumstantias, quilibet, cui negotium hæmorrhoidale quadrantenus cognitum est, inveniet, neque etiam facile ægrotautes perpeſſam violentiam celabunt; & si hoc etiam contigerit, tamen *simultaneus* & *improvifus* hic fluxus cruentus, cum *precedentibus* circumstantiis comparatus, facile discrepantiam inter utrumque fluxum indicabit.

§. VIII.

Ex hætenus dictis jam quadrantenus hæmorrhoidalibus fluxus differentia a diversis aliis *cruentis* alvi fluxibus pateſcit; neque quidem placet diffusiori commentatione in hanc observationem introſpicere, sed *specialiſſimam* diſquisitionem ulteriori penſtationi commendare: nunc vero *ſupplementi* loco nonnullorum affectuum mentionem facere lubet, qui cum *moliminibus* hæmorrhoidalibus & hæmorrhoidibus *cæcis* conſentire videntur, *re ipſa* vero ab iisdem *differunt*: quare aliquando *Colica ſtultenta*, *bilioſa* & *pituitoſa* non bene diſcernitur ab *hæmorrhoidali*, quam differentiam tamen D. D. *Præſes* in tract. de *Hæmorrhoidibus* ſub titulo *Colicæ hæmorrhoidalis* penitus demonſtravit: interim aliquando evenit, ut *Colica bilioſa acerbitate* ſua colicam *hæmorrhoidalem* referat, aut ut colica ex *diæte* vitio contracta, imprimis ex dulcium & acidorum ingeſtione nata, ob peculiarem circumſtantiam cum hæmorrhoidibus convenire appareat, quando utraque, nimirum illa *bilioſa* & hæc posterior, ſaburra *acris* & *ſemi corroſiva* expulſionem proſequitur; unde non modo evenit, ut hæc ſaburra *teneram* internam inteſtinorum ſuperficiem *arrodat* & *vascula ſanguifera denudet*, ſed & ut ob internam hanc *ſenſibilium* inteſtinorum arroſionem ſanguis a *peripheria* ad loca *affecta* largius reprimatur, id quod

quod tanto majori efficacia in *plethoricis* subiectis solet accidere, siquidem ut plurimum sub *colicis* doloribus sanguis ab *externa* corporis regione ad *internam* ducitur: quando vero tandem *aliquod* sanguinis, dum alvus in *colica* tali *liberatur*, per *alvum* educitur, facile iterum quisquam *suspicionem* de *Hæmorrhoidibus* concipere possit: hinc ad *subiecti* conditiones, videlicet *ætatem*, *temperamentum* &c. nec non ad *causas antecedentes*, ut & ad *excretorum qualitates* prudens medicus advertere debet; etenim *haud* quilibet sanguis per *alvum* effluus, *hæmorrhoidalis* ille est; siquidem *alia* iterum *Hæmorrhoidum* est conditio, quæ a *placida* & *libera* naturæ directione pender, alia quæ *cautis* valde *onerosis*, *molestiis* & ex parte *adversis* nititur, alia denique quæ cum *immoderata coactione* conspirat, quas generales diversitates *D. D. Præses* in *dispositione Hæmorrhoidibus symptomaticis & perniciosis* explicavit: quicumque itaque *colicam hæmorrhoidalem* a *reliquis colicæ* speciebus discernere potest, ille etiam tales *colicæ* species, quæ non sunt *hæmorrhoidales*, tamen aliquatenus *sanguineam* evacuationem conjunctam habent, a *vero Hæmorrhoidum* statu discernere poterit: etenim ubi *recrementa acria* esse observantur, insuper *tormina* intestinorum *atrocia* & corpus *sanguine turgidum*, ibi facile quisquam judicare potest, quod *circa* destinationem *hæmorrhoidalem* talis *cruenta* evacuatio contingere possit, quamvis iterum *haud* negemus, quod in *subiectis exquisitis hæmorrhoidariis colica biliosa* ad *hæmorrhoidalem colicam* & motum *ansam* præbere possit: in quo casu iterum *peculiares* subiectorum *qualitates* & *circumstantiæ* cum *attentione* & *judicio* annotandæ sunt, ut ex *iisdem* vera *differentia* motuum *hæmorrhoidalium* ab aliis affectibus magis *inclare*cat: Alius affectus, qui cum *molimine hæmorrhoidali* convenire videtur, est *Tenesmus*, aut *simplex*, aut cum *aliqua dejectione cruenta* complicatus

tus: accedit enim *nonnunquam*, ut cum *motibus* hæmorrhoidalibus, *difficilius* exeuntibus, tales afflictiones tenesmi *coincidant*, quam ob rem facile tenesmi, ab *aliis* causis provenientes, cum illis *confundi* possunt: hanc differentiam vero, quæ inter negotium *hæmorrhoidale* & *tenesimum* communem intercedit, brevi animadversione proposuit *Fronmannus l. c. Part. I. probl. 44. p. 184.* quamvis vero Tenesmi causa *multiplex* existat, tamen iterum ex *genuinis* processibus hæmorrhoidalis signis & causis discrimen inter illum & hunc colligi potest, siquidem series atque *nexus* pathematum cum *hæmorrhoidali* tenesmo conjunctorum peculiaris plane conditionis est: imo contingit, ut tenesmus in *talibus* eveniat affectibus, qui cum hæmorrhoidali negotio interdum *proximius* conspirant, in quibus tamen *ille tenesmus* nihilominus a motu hæmorrhoidali *discrepat*: testimonio podagricorum, nephriticorum &c. in quibus ex vicio *diætæ* & animi *indignabundo* affectu interdum *adstrictiones* alvi & tenesmi acerbioris afflictiones oriuntur, quæ tamen *hoc tempore* nihil communionis cum *hæmorrhoidalibus* motibus habent, licet cæteroaquin ille affectus podagricus & nephriticus quoad *originalem* suam consensionem cum *Hæmorrhoidibus* magnam affinitatem habeat: quod vero tenesmum attinet, qui cum *sanguinis* expressione conjunctus est, tunc & ille *non semper* hæmorrhoidalis est, sed a diversis *aliis* provenire potest & solet causis, velut a *calculi* vesicæ & renali, *adstrictione* alvi, *biliosa* effusione in intestina, *dysenteria* imminente & procedente, *ischuria*, *dysuria*, *acrimonia* lymphæ & seri, *scorbuto* &c. &c. hinc magna circumspeditione opus est, ne *singuli* tenesmi cum processu *hæmorrhoidali* confundantur: haud enim *promiscue* molestiæ a tenesmo evenientes, ardores, dolores &c. ab hæmorrhoidibus deduci debent: etenim *renum*, *vesicæ urinariæ* & *genitalium* viarum *morbosæ* afflictiones *extra* connexionem hæmor-

hæmorrhoidalem sæpe *talem tenesum* causari solent, qui
 haud præcipiti iudicio cum motu & molimine *hæmor-*
rroidali confundendus est: quodsi enim serum *salsum*,
 per largiorem *diaphoresin*, aut sudorem *annuum* excerni
 solitum, nunc in hac *consuetâ* & proficua excretionem *impe-*
ditum fuerit, tunc interdum in nonnullis subjectis & ætati-
 bus illud ad *alias* vias delabitur, velut ad *urinarias* & in iis-
 dem successively aut *calculum*, aut *dysuriam* causatur, vel ad
connexas alias regiones congeritur, nimirum ad *intestina*
 & in iisdem aut *colicas* passiones, aut loco harum, præci-
 pue si hæ olim adsuætæ, sed nunc in desuetudinem reda-
 ctæ fuere, *tenesmos* molestos & valde affligentes provocat,
 unde varia morborum arduorum specimina generantur,
 quæ cum hæmorrhoidibus *plane nihil* commercii habent,
 proptereaque ex titulo Hæmorrhoidum *curari minime*
 debent, ni vel talis affectus aut *suistre* succedat, aut *funeste*
 decurrat: In nonnullis subjectis ob *spongiosum* habitum
 corporis, largam & pronam *sudationem*, serum *acre*, cop-
 iosam *bilem* & biliosam dejectionem &c. evenit, ut in *a-*
no & *locis* hæmorrhoidalibus horumque confiniis *arder*,
pruritus, *excoriatio*, modica *cruenta* manatio, semi *inflam-*
matoria afflictio, sanguinea *congestio*, *intumescencia*, durities,
serpiginosa efflorescentia &c. oriantur, qualia pathemata
 aliquando *hæmorrhoidales* motus comitari solent; sed quæ
 dum a *prædictis* causis *solitarie* dependent, *realiter* a ne-
 gotio hæmorrhoidali *discrepant*, quamvis eadem in sub-
 jectis, quæ *propriiori* propensione hæmorrhoidaria sunt, ad
concursum motuum hæmorrhoidalium contribuere possint
 soleantque: interim *uterque* status provide discernendus
 est, dum *speciales* & peculiare causas quilibet complecti-
 tur: Præterea in *venerea* affectione frequentius *confinia* ani-
 perinæum & *loca hæmorrhoidalia* congestionibus, tumori-
 bus, ardoribus, pruritu, protuberantiis, excrescentiis
 &c. affliguntur, ut iterum quisquam *hanc morbose* afflictio-
 nis

nis faciem cum Hæmorrhoidibus comparare & confundere
 posset, tamen uterque status iterum essentialiter & forma-
 liter discrepat: & dum infectio *veneræ* perito artificio abs-
 condita esse haud potest, ita ex *illis* signis differentia præ-
 dictorum pathematum facile inclarefcit: Denique in qui-
 busdam subjeâis *ascarides* in *intestino recto* & exitu ani tan-
 tas afflictiones causantur, ut iterum confusio cum negotio
 hæmorrhoidali facile committi soleat: attamen si *princi-
 pales & essentielles* negotii hæmorrhoidalis circumstantiæ
 cum *illis* passionibus conferuntur, insuperque alicui suffi-
 cienter cognitum est, quanta & qualia afflictionum speci-
 mina ab ejusmodi vermiculis provenire soleant, tunc fa-
 cile discrepantia negotii hæmorrhoidalis, a tali *vermino-
 sâ* malo inveniri & confirmari potest: Et hæc brevi com-
 mendatione & commemoratione, de differentia *molimi-
 num* hæmorrhoidalium cum *aliis* morbis sufficiant.

§. IX.

Ex hæcenus dictis facile liquet, quantum referat
 hæc differentias exacte nosse, ne ex confusione cogni-
 tionis, *confusa* & perniciofa tractatio *practica* horum affe-
 ctuum oriatur: interea sequentia *Porismata Practica* ex-
 præcedenti explicatione erunt haurienda & perite etiam
 applicanda: quando affectus *alieni* pro *hæmorrhoidibus* æ-
 stimantur & tractantur, haud difficulter evenit, ut *coacta*
 quadam ratione *motus* hæmorrhoidales excitentur, qui ve-
 ro non modo minus salubres sunt, sed præcedentem af-
 fectum valde *augment*, exacerbant, corrumpunt & compli-
 cant: unde etiam illi *previi* morbi tota sua indole *refracta-
 ri* redduntur, qui antea tractabiliores & *mitiores* fuerant:
 quando in *alienis* morbis hæmorrhoides *impatenter* & ve-
 hementer *urgentur*, facilius *acuti* & repente *perniciosa*
 provocantur affectus, velut inflammationes internæ, gan-
 græna, *sphacelus*, spasmi, convulsionones, quales affectus bre-
 vi post in *funestum* desinunt eventum: quando ex *alienis*
 mor-

morbis Hæmorrhoides generantur, tunc hæ ferme semper
 perniciosæ sunt & acceleratam vitæ & sanitatis depravatio-
 nem accersunt: quando sub alienis morbis Hæmorrhoi-
 dalis fluxus urgetur, sed non ad perruptionem deducitur,
 tunc ut plurimum novus valde suspectus, intricatus & pe-
 riculosus inde generatur affectus: quando ex alienis affecti-
 bus Hæmorrhoides impelluntur, tunc hæ vel in pernicio-
 sum excessum facile delabuntur, vel in perverissimum sta-
 tum abeunt: quando sub alienis morbis Hæmorrhoides
 præter ullam necessitatem impulsæ fuerant, tunc adeo tota
 œconomia vitalis turbatur, ut non modo pristina consue-
 ta vires valde enerventur, sed individuorum status ita de-
 pravetur, ut haud facile optima medicamina & medendi me-
 thodus salutarem quenquam effectum promovere queant;
 quando sub alienis affectibus motus hæmorrhoidales veri,
 libere aut per consensum sponte concurrunt, tunc illos de
 presenti magis lenire & mitigare, quam urgere & impellere
 convenit, ne ulla coactionis qualitas in negotium hæmor-
 rhoidale transeat, unde dehinc rotus processus hæmorrhoi-
 dalis admodum turbulentus redditur; quare rectius præ-
 cedentem & primarium morbum e fundamento curare con-
 venit, ne Hæmorrhoides sub tali morbosarum afflictionum
 turba erumpant: quando tales casus obtingunt, ut ob
 nonnullas circumstantias peritus artifex hæsitet, an quidam
 morbus hæmorrhoidalis, aut minus talis existat, tunc haud
 consultum est, ut mox ad Hæmorrhoidum promotionem vel
 impulsione conatum suum dirigat, sed præstat prudenti
 expectatione observare, quæ aliæ circumstantiæ consequan-
 tur, unde dubitatio præfens decidi queat, interea in præsentî
 statu expediet ordinarias excretiones promovere, genera-
 lia impedimenta remove, suspectos motus corrigere &
 prudenti sollicitudine in quaslibet necessarias circumstan-
 tias interea inquirere; quando Hæmorrhoides ex alienis
 morbis provocatæ sunt, licet deinde haud salutare existant,
 tamen

tamen illas promiscue *supprimere* haud convenit: quando *aliae albinae cruenta* fluxiones obtingunt & quidem in sub-
 jectis *haemorrhoidalibus*, quae evacuationes tamen non sunt
 haemorrhoidales, tunc in cura eo major circumspectio ob-
 servanda est, ne aut *haec occasione* motus haemorrhoidales
 convocentur, aut convocati & complicati offendantur & per-
 vertantur: quando porro nonnunquam *praecedentes* mor-
 tus haemorrhoidales *alios* affectus, haemorrhoidum indo-
 lem *amulantes* & referentes, *excitant*, tunc talis *complicatus*
 morbus ut plurimum ad Haemorrhoidum *verarum* quali-
 tatem tractandus est, quia ille *haemorrhoidalis* status nunc
primarium in tali afflictione constituit pathema: quan-
 do morbi, qui cum Haemorrhoidibus *nihil communicationis*
 habent, post *praecedentes suppressas* Haemorrhoides se-
 quuntur & oriuntur, tunc *nihil* suscipere aut ordinare
 debet artifex, quod ullo modo *praevio* negotio haemor-
 rhoidali *praesudicium* afferre potest, sed in tali statu *judicio-*
sa sollicitudine concursum & complicationem motuum haem-
 orrhoidalium advertere, expectare & circumspicere tra-
 ctare debet: Haec sunt, quae brevi animadversione circa
Practicam praesentis thematis applicationem monere pla-
 cuit: Quare jam huic meditationi finem imponimus; Deo
 T. O. M. devotissimas gratias exhibentes, quod ad hujus
 exacte practicae tractationis commendationem necessa-
 rias vires largiri voluerit, cui porro nostra conamina hu-
 millimo pientissimoque voto atque affectu consecramus,
 ut eadem ex almo semper directorio ex-
 optatus comiteretur

F I N I S.




00 A 6405


ULB Halle 3
002 913 283



80-







Farbkarte #13

B.I.G.

